DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

BREVEM CONSPECTUM HISTORIAE ET NATURAE VIRUS SYPHILITICI ET EMOLUMENTA EX INSITIONE EIUSDEM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE

PRO

DOCTORIS MEDICINAE

LAUREA RITE OBTINENDA

IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

CONCINNAVIT

LAURENTIUS MIKLOSITZA.

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis majori die Julii.

BUDAE.

typis Joannis Gyurián et Martini Bagó.

1844.

Ars longa, vita brevis!

Hippocrates.

Man darf nie mit der Absicht arbeiten, eine Theorie zu unterstützen, weil sonst der Geist eingenommen wird und nur das noch bemerkt, was die Meinung bestättigt, die man sich schon im Voraus gebildet hat. Unser einziges Ziel muß die Erforschung der Warheit sein.

G. Cuvier.

SPECTABILI AC CLARISSIMO

DOMINO DOMINO

ANTONIO MIKLOSITZA,

J. U. DOCTORI. J. F. U. ADVOCATO, PROFESSORI JURIS HUNGARICI PRIVATI CIVILIS, PUBLICI CRIMINALIS P. O. ET I. FACULT. JURID. IN REGIA ACADEMIA M. VARADINENSI PROSENIORI PENSIONATO, PATRUO, AC BENEFACTORI SUO AESTIMATISSIMO.

VIRO

SCIENTIA, HUMANITATE AC BENEVOLENTIA

INSIGNI

HASCE LABORUM SUORUM PRIMITIAS

IN PERPETUUM GRATI ANIMI SIGNUM

DEDICAT

DEVINCTISSIMUS

AUCTOR.

Ad Lectorem!

Veritates, quae in hocce exigui voluminis opusculo publicam conspicient lucem, ne puta benevole Lector, meo fuisse partas labore, meis erutas conatibus; longe maiora ac graviora haec sunt, quam ut in profundissima artis vere divinae vix initiatus mysteria, de his veri quid, et quod praecipuum novi dicere, ac scribere possit. — Trado tibi excerpta ex doctrina, per Spectabilem ac Cl. Moderatorem quondam nostrum *Ludovicum Tognio* 1843 nobis proposita. — Utinam adjuncta admisissent, ut doctrinam de Syphilide, recentissimis observationibus illustratam, classiceque nobis a Viro omnium amore et aestimio summe digno expositam, in omni sua extensione publici iuris facere potuissem! — Ast — his super-

sedere, meae non optimae circumstantiae praecipiunt; illa nihilominus quae scripsi sunt nova, et talia, quae vix invenies in ullo Auctorum. Precor Tibi benevole Lector! ut Tu quoque tantum ex his pagellis utilitatis et luminis capias, quantum me cepisse cum gaudio profiteor. —

Morbus ille, qui fine saec. 15. caput extulit et qui mox (1495 — 6) in saevam abivit epidemiam celerrime Europam permeans eamque excedens, ab auctoribus et populis varias acquisivit denominationes; quarum aliae a sede, aliae a forma, aliae a gentibus de eo culpatis, aliae a sanctis ad eius sanationem invocatis derivantur. — Sic Josephus Grünbeck (1496) morbum nominavit *Mentulagram*, Gasparus Torella *Pudendagram* (1500) T. Rangon (1537) *Malum galecum*. V. Hock de Brackenau (1502) *Mentagram*. — Alii medici eiusdem aevi morbum appellarunt: *Brosulas*, *Pustulas*, *Pustulas formicales*, *Pustulas alsaticas*, plurimi tamen *morbum gallicum*.

Galli eum nominarunt: *Mal de Naples*, vel *Grosse vérole*, cum morbus eodem tempore exanthema produceret variolis simile. Hispani nominarunt *Bubas* i. e. pustulas, Itali et Germani dicebant *morbum gallicum* s. Variolas gallicas; simili modo Angli Belgae *Variolas Hispanicas*. Mauritani *morbum hispanicum*, Lusitani *morbum castellanum*. Indiae orientalis populi *morbum lusitanicum*, Turcae *morbum francorum seu Christianorum*. Persae *morbum turcicum*, Russi *morbum polonicum*. — Vocabatur etiam medio aevo morbus de quo agimus, *morbus S. Maevii*, *S. Sementi*, *S. Jobi*, *Rochi*, *Evagri*, *Reginae* etc. — Paracelsus (1528) eundem habita ratione originis longe frequentissime *morbum venereum* vocavit. Fernelius (1564) eodem ex principio *Luem veneream*. Fracastorius in suo immortali poëmate 1530 Venetiis typis mandato, primus *syphilidem* nominavit dicens:

Syphilus ostendit turpes per corpora achores,
Insomnes primus noctes convulsaque membra
Sensit, et a primo traxit cognomina morbus,
*Sylphilidem*que ab eo labem dixere coloni.

Placuit Medicis haec poëtica morbi denominatio ita, ut istam, et illas Paracelsi et Fernelii hodiedum passim in usum trahant. — Hungari eundem vocant *búja senyv*, Slavi Přjgice, Germani *Lustseuche*. Galli **Grosse vérole**, Angli *venereal discrase*, Itali et Hispani ***Lue venerea***.

Definitio logica morbi huius non conceditur; sed nec desideratur, sufficeret enim nobis saccincta descriptio quae formam eius maxime essentialem depingeret eiusque genesim evolveret. Talis omnino sufficeret descriptio, duceret enim ad certam diagnosim et ad certam therapiam; verum et hanc concinnare non valemus. Momenta quae huic obstant labori in futuris adparebunt sufficienter. Interim quousque talis non fuerit, sequens fors retinenda erit morbi quem in futuris *syphilidem* vocabimus, et quem (quod bene notandum) ex solo ulcere syph. derivamus, imago: Syphilis est morbus specificus vitae vegetativae, inductus contagio proprio fixo, quod in casibus longe plurimis per coitum communicatum partibus genitalibus excipitur; et cuius (intel. contagium) ope, series inflammationum chronicarum suis cum terminis, in Syst. Cutaneo, vasis, glandulis lymphaticis, rarius etiam in ossibus provocatur. Unde sub longiori duratione discrasia singularis singularisque producitur liquatio. — Descriptionem hanc non esse omnibus absolutam, concedimus, specialior huius descriptio, fusiorque deductio clare docebit, quid veri in ea sit, quidve desideretur. — Interim antequam opus hoc adgrediamur, iuvat parumper recedere in *historiam* huius morbi:

Nullum esse morbum generis humani, in cuius historia tantum desudassent eruditi ac in eum syphilidis, certum est; quare id fecerint faciantque hodie? non satis perspicitur; nam praeter vanum eruditionis nimbum, nullum hucdum fuit, nec erit ex his conatibus lucrum. — Summa enim foret superstitio in historicis his laboribus, eorumque resultatis (exiguis et obscuris) hucdum captis, lucrum pathologicum, prophylacticum aut therapeuticum quaerere, aut sperare. Qui id non credit, pervolvat auctorum quorum magnus est numerus volumina, legat millenas illas male plerumque interpraetatas citationes, subiiciat illas iudicio sobrio critico, et videbit: easdem nihil lucis evolvere, atque rem quam explicare deberent potius confundere. Interim aliqua novisse oportet, et ideo summam rerum harum paucis proponam verbis:

1. De origine syphilidis certi nihil scimus, uti docent dissentientes auctorum sententiae, quarum nulla evicta est.

2. Irritus semper manebit conatus historicorum hoc in objecto, id praedicere magnum non est miraculum, considerando genium et fata aevi illius, in quo Syphilis in Europa observari cepit, finem np Saec. 15. et initium 16. — Quis quaeso sanae mentis sperabit multum ab his temporibus

chaoticis, superstitiosis, fabulosis, vanis; rixis, bello, aliisque calamitatibus convulsis?

3. Sententiae auctorum de origine Syphilidis, ad sequentia tria reduci possunt: a) *Syphilis ab antiquissimis temporibus exstitit in orbe.* b) *Syphilis ex remotis terrae partibus in Europam adlata est.* c) *Syphilis saec. 15-o in Europa evoluta est.*

Primam sententiam Saec. 15. et 16-to si Andream Alcazar (1575) excipias, nullus fere defendit medicorum; quin potius longe plurimi horum saeculorum Scriptores medici et alii, syphilidem morbum novum inauditum appellant. Saec. 17. iam plures auctores dictam sententiam profitentur; inter quos nominari merentur praeprimis Zacatus Lusitanus (1629) Guido et Carolus Patin (1665 — 87). Saec. 18. sententiam dictam defenderunt plures, quorum praecipui: Alliot (1717), Platner (1752) Grunner (1774—83 et 97), Schmidt (1790).— Saeculo nostro pauciores sunt huius doctrinae defensores, inter quos maxime eminet eruditissimus somniator Rosenbaum (1839).

Contrarii huic doctrinae sunt Auctores aevi primi syphilidis fere omnes; e recentioribus longe plurimi. — Nec facile quis concipiet quomodo fieri potuisset, ut auctores Graecorum, Romanorum et Arabum, *populorum veneri multum semper deditorum, morbum si fuisset clarissime non descripsissent;* cum tamen morbos quam plurimos minus objectivos descripserint ad captum. — Blennorrhoeam regnasse dudum notum est; verum de huius historia hic non agitur.

Qui secundae adhaerentes sententiae syphilidem ex remotis terrae partibus nobis adlatam fuisse docent, in varias inclinant sententias; plurimi eam ex *America* per Columbi expeditionem adlatam fuisse dicunt 1493; etiam hanc sententiam primi aevi auctores non defendunt. Acerrime eam defendunt: Friend (1725), Astruc (1736). Turnbull (1788). Girtaner (1786), et quod mirum, recentissime mansvetissimus Gibert (1835). Sententia haec dudum, et perfecte refutata est.

Alii syphilidem ex *Africa* derivant, et iam Mauritanos, iam Aethiopes culpant. Excellunt inter hos: Sydenham (1680), Rehman (1778): Curcius Sprengel (1790—4); Swediauer (1799); et recentissime Thiene (1823). — Ex *Asia* per Zingaros syphilidem nobis fuisse adlatam, quidam Schaufus affirmat 1805. Nec ista asserta confirmata. —

Tertiae sententiae quam imprimis Sanchez, doctissimus Hentzler (1801) et recentissime Dieterich (1842) acriter dé-

fendunt, syphilidem scilicet versus finem saec. 15-ti fuisse evolutam, hodie plurimi adhaerent auctores; tametsi nec ista sit evicta. Memorabile hoc respectu est opus Aloysii Luisini (1728), in quo adducuntur sententiae illorum, qui morbum Saec. 15-o ipsi conspexerunt, et quorum longe plurimi eum novum dicunt.

De anno, loco et modo primariae huius evolutionis scriptores multum dissentiunt; annum et locum non curamus, evolutionis vero rationem libenter cognosceremus, haec enim cognitio naturam forte illustrare valeret; verum et idcirco parum lucis, et multum fabularum habent auctores. — Alii *influxus climatis* incusarunt, ut id fecit Leonicenus, Schmaus et alii. Alii syphilidem ex *antropophagia* derivarunt uti Leonardus Fiororanti (1568) Andreas Alcazar, Petrus Benoist (1659). — Caesalpinus eum deducit *ex potato sanguine humano*. Roberg (1708) *ex sodomia cum simiis culta*. Joannes Sitonius (1641) *ex coitu immodico*. Sinapius (1697) *ex castitate nimia*. Astruc syphilidem primario evolutam fuisse docet *ex sanguine menstruo corrupto foeminarum americanarum*. Girtaner (1782—8) inculpat easdem feminas americanas, quod socios Columbi ad coitum irritaverint, *penibus eorum adplicando insectum* (pulex penetrans) quod morsu ulcus produxit ex quo ulcus syph. generatum. Hauptman et Deidjer (1653) iam ante Girtanerum analogas narrant fabellas. Blondus (1542) syphilidem derivat ex *depravatis humoribus*. — Ex *lepra* dehiscente et quasi moriente, metamorphosi singulari syphilidem ortum duxisse, docuerunt iam olim Paracelsus (1528), Mathiolus (1535), Maynardus (1566). Recentius *Autenrieth*, *Neuman*, *Lagneau*, *Howard* et *Choulant*. Recentissime Dieterich (1842) et multi alii, quin tamen sententia etiam haec argumentis sufficientibus firmata nobis videatur.

Celerrima quae Saec. 15-o ad finem vergente et exordio saec 16-i locum habuit *morbi propagatio*, explicatur per bella in omni meridie Europae tunc gesta, per quaestus terrestris et maritimi incrementa rapidissima, per frequentiora longioraque itinera omnis generis, per *volatilem* fors contagii naturam, et per defectum omnis prophylaxeos et therapiae.

Morbum olim fuisse longe graviorem ac hodie, rapidiorem in decursu, ferociorem in eventu, certum est; cuius causam non solum in defectu prophylaxeos et therapiae, sed in maiori etiam efficacitate contagii repositum fuisse, statuunt scriptores recentiores omnes.

Diximus syphilidem (intelligentes semper ulcerosam) *esse morbum specificum vitae vegetativae, contagio proprio fixo ortum;* specifica haec morbi indoles ex specifica fluit contagii natura. Interest ergo, ut contagium consideremus quam diligentissime, eius formam naturam et efficaciam inquiramus quam studiosissime. Cum syphilis fine saec. 15-i ut novus morbus adpareret, contagiosam eius naturam mox cognoverunt: Alexander Benedetti (1496) Coradinus Celanis (1497) et plures alii. Eo non obstante, doctrina de contagio et parum exculta, et in dubium saepe plane tracta est. Eodem modo se habuit doctrina de *indole* contagii; cui plurimi auctores aevi primi *naturam volatilem* adscripserunt, quod hodie nec probari, nec negari potest amplius. Interim quod dictis temporibus, erroneae de contagio syphilidis et de causa syphilidem excitante fuerint doctrinae, sane mirandum non est; res enim tunc erat nova, et cognitiones medicorum de contagio admodum exiles. Ast quod et nostris diebus sint aliqui qui contagii existentiam negant, sane mirandum est, refutatione tamen indignum, cum insitiones fortuitae, et studiosae rei mathematicam addant evidentiam. — Negant existere contagium nonnulli Galli scholae Brousseianae asseclae, imprimis Jourdan (1816), Dubled (1825), Devergie senior (1834) Desruelle, et nonnulli alii.

Contagium syphiliticum liquidis organicis aliis copulatum, nec unquam purum merumque occurit, nec in statum puritatis hodiedum ulla arte reduci poterat. Sicque explicatur, quare tam parum profecerint in determinanda natura physico chemica eius, etiam ingeniosissimi et diligentissimi rei huius scrutatores.

Copulatur contagium istud in pustula aut vesicula syph. primaria liquori lymphatici habitus, in ulcere puri, diversae admodum formae; alii liquores id iam certo modo modificatum tenent, ut id infra videbimus.

Liquidum ex pustula syph. primaria recenti captum, liquorem sistit tenuem sero lactis similem, adtactu et aspectu pinguem. Sub microscopio liquor iste adparet ut massa homogenea alba, in qua mox formantur crystalli parvae 8-ae aqua calida facile solubiles. Animalcula infusoria in hoc lymphatico humore nulla hucdum conspicere licuit.

Pus ex ulcere syphilitico primario desumtum, liquorem sistit lentum flavum, adtactu et aspectu pinguem, aqua specifice graviorem. Microscopio pus istud examinarunt multi, inter quos eminet celeberrimus *Gluge*, qui id microscopio examinavit apud Ricord 4. mensibus, domi suae adhuc longius; iuxta eum globuli puris huius non differunt a globulis

puris simplicis boni; verum globulis semper intermixta est substantia albicans, globulos mole superans. In hoc pure sub ipsa observatione crystalli formantur. Animalcula infusoria in specie vibriones Gluge invenit rarissime, sive illud ante, sive sub tractamine medico examinasset. In pure bubonum vere syphiliticorum, praeter globulos puris, Auctor nominatus invenit globulos adiposos, globulos glandularum, et substantiam quamdam tenacem, quae in pure simplici bono nunquam conspicitur. Cum his observationibus Glugei conveniunt observationes Cl. Dieterich, qui materiam illam albam gregatim cohaerentem pro sede contagii habet, quin id tamen demonstret. Ab his Germanorum observationibus abludunt illae Galli Donné, qui microscopicis experimentis ductus docet: in omni pure ulceris syphilitici rececentis, occurrere animalcula infusoria, et quidem (quod sane mirum) distincta in distinctis sexubus ita, ut in *viro vibrio lineola* Mülleri, in foemina vero infusorium aliquod novum, quod ab eo *Tricomonas vaginalis* nominatum est, inveniretur. Donné haec infusiora non habet quidem pro ipso contagio, credit tamen horum genesim per contagium determinari ita, ut absque eo evolvi non possent, essent ergo certi contagii indices. Inventum hoc maximi foret momenti si confirmaretur, diligentius tamen rei scrutinium alia docet, nam: 1-mo Infusoria ista saepissime desunt in pure ulceris syphilitici primarii, quod tamen testante inoculatione contagium tenet. 2-do. In pure bubonum symptomaticorum, inoculatione pustulam characteristicam producente (ergo contagium tenente) infusoria nominata nunquam conspecta sunt. 3-io. Vibrio formatur in substantiis animalibus azoum tenentibus cunctis, dummodo illae a contextu organico separentur, et aëri exponantur. 4-to. Fatemur tamen ingenue in hac re nondum esse concludendum, sed eam potius ulteriori studio esse prosequendam; et non reticendum quod auctores aliqui, duobus abhinc saeculis animalcula ista suspicati iam fuerint. Hauptman (1650) Lang (1659) Abercromby (1684) hypothetice de illis loquuntur.

Juxta antiquorum doctrinam, pus ulceris syph. primarii semper *acidam* monstrat reactionem; Chevalier, Donné, Vogl et alii contrarium docent. Dieterich primis diebus ab exordio ulceris, frequentissime, non semper tamen, reactionem conspexit *alcalinam*, tardius iam nullam iam *acidam;* dolendum quod non doceat quale tractamen intercessit. — Ubi ulcus syphiliticum primarium depuratum est, et granulatio inchoat, reactio in chartas exploratorias plerumque nulla est. An reacti-

onis huius ratio ipsi contagio sit imputanda, an potius ab individuali vegetationis conditione i. e. a certa eius discrasia dependeat, hucdum distingui non potuit. — *Attenhofer* docuit, pus ulc. syphilitici primarii parvis aviculis oblatum eas enecare, et flores in specie rosas eo illinitas, mox marcescere facere; quod utrumque aliis non semper successit.

Berzelius in pure ulc. syphilitici primarii non alia distinguere potuit principia, ac in pure quovis alio. Nec analyses Cl. Chevalier lucem aliquam huic rei addunt; id tamen notatu dignum est, quod pus ulceris syph. primarii, in altiori temperatura mox coaguletur, quod maiorem testatur albuminae copiam. — Cuncta haec experimenta physico chemica naturam contagii de quo agimus parum illustrant.

Pus ex ulcere syph. primario captum, aut ex bubone symptomatico desumtum, et vasis congruis hermetice clausis exceptum cauteque servatum, diu retinet suam inficiendi potestatem, uti id experimenta instituta docent. — Cl. *Ricord* pus istud lagenulis parvis optime clausis dieb. 7 recondidit, et postea facta inoculatio characteristicam induxit pustulam. Cl. Dieterich pus idem inclusit inter duas laminas vitreas, et 9 mensibus loco moderate calido reposuit. Inoculatio facta efficaciam eius demonstravit. Quamdiu autem pus istud in aëre athmosphaerico libero, suam inficiendi potestatem retinent? non sat constat; tametsi infectiones per instrumenta chirurgica, et alia utensilia observatae, probabile reddant, efficacitatem hanc diutius constare. —

Reactione organismi saepe sat cito, alias admodum tarde *subigitur* contagium; successit enim quandoque spontanea ulceris syphilitici sanatio, quod fieri non potest, nisi deleto contagio ulceris; alias neglecta medicatione, ulcus syph. primarium contagiosam suam indolem diutissime retinet. Ricord ex ulcere syph. primario quod iam 18 duraverat mensibus, desumto pure inoculationem cum effectu instituit. Medicatione autem debita deletur semper, saepeque citissime contagiosa ulceris indoles, ut id mathematica cum evidentia demonstravit Ricord: pustula enim syphilitica, ut et ulcus syph. primarium, ubi cauterisatione rubram puramque monstrant faciem, incipientemque granulationem, pus gerunt omni contagio liberum, testante negativo effectu inoculationis.

Gravissimae nunc solvendae sunt quaestiones: *Quomodo agit contagium syphiliticum? qui sunt eius effectus primi, qui ulteriores? et quomodo ex morbo topico evolvatur universalis?* — Has solvere quaestiones res est dificillima, una

et momentissima; momentosissima praecipue ideo: quia infinitae nos turbant hypotheses, infinitae observationes erroneae, quas et hodie experimentis clarissimis, experientiae castissimae et inductionibus evidentissimis, non cessant opponere obcoecati. Res est momentosissima, quia eius solum explicatio ducere poterit ad veram de morbo ideam, rectamque eius therapiam.

Quaeritur ergo 1-o. *Quomodo agit contagium in partem organismi, cum qua in immediatum venit contactum, et qui hic conspiciuntur effectus?* Ut quaestioni huic eo facilius satisfaciamus, praevie, serioque monemus, nos hic agere solum de contagio syphilidis ulcerosae, non vero de eo blennorrhoeae, quod a priori distinctissimum est. Multi contrarium docent, etquidem alii non alia ex causa, quam quia id olim aliter audierunt, aut legerunt; commodum est iurare in verba magistri, commodum id quod olim audivimus, aut legimus credere; sic procedentes pinguescimus. — Alii autem adpellant ad observationes suas et aliorum; videamus eas: Docent multi, *plures ab eadem foemina infectos diversas obtulisse syphilidis topicae formas; alterum ulcus, alterum blennorrhoeam, bubonem alterum.* Sed quam sunt haec superficialia! nam concesso etiam eo quod vera sint, quaeritur, *a)* An inter illos non fuerit unus alterve, qui antea cum alia foemina coitum celebrans, iam tunc infectus fuerit. *b)* An haec foemina quaestionis non plures syphilidis topicae formas occultas gesserit? quod absque inquisitionibus (hucusque fere semper neglectis) speculi ope distinqui nunquam potest. Obliviscuntur porro sic credentes et docentes variam hominum receptivitatem, ob quam fieri potest, ut post coitum cum foemina, quae blennorrhoeam et ulcus fors reconditum gerit, unus hoc, alter istud contagium accipiat.

Gravius argumentum id est, aut potius esset: *Dantur aliquae, dico liquae observationes, quod inoculatio puris blennorrhoici ulcus, et puris ex ulcere blennorrhoeam induxerit;* si istae observationes verae essent, et recte interpraetatae, tunc corrueret nostra sententia, contrarium docens. — Quod ab inoculatione virus blennorrhoici sic dicti ulcus dum et quando sequatur certum est; sed id saltem docet in tali blennorrhoea reconditum fuisse ulcus, ulceris vero virus, nunquam aliud producit quam ulcus; sed alterius longe indolis, decursus, efficacitatis, et alterius tractaminis necessarii.

Insitiones debita cum dexteritate, debita cum cautela factae, et debite directae atque observatae docuerunt: *blennor-*

rhoeam simplicem nunquam ulcus, ulcus nunquam blennorrhoeam veram iduxisse. — Insitiones tales hucdum millenae institutae sunt.

Tempus haud concedit, *historias insitionum* harum deducere; sufficiat hic dixisse, eas ante, et post Hunterum institutas fuisse; plerumque tamen inepte quoad modum scopum, et corollaria inde deducta. — Recentissimis temporibus *Ricordii* maxima sunt merita de insitione in syphilide. Ille primus docuit modum iustum, iuxta quem instituendae, custodiendae et dirigendae sunt insitiones istae; ille primus docuit cautelas summe necessarias in observando, et iudicando, — ille primus ostendit quid ab his insitionibus sperandum sit, aut non sit; cui inserviant, aut non inserviant. — Ante illum in his omnibus, plurimi errores commissi sunt, atque ex illis redundant illa erronea sibique e diametro opposita resultata. Centenis, quin imo millenis insitionibus cautissime factis, et observatis, Ricord sequentes eruit veritates:

a) Pus ulc. syph. primarii cuiuscunque formae, ante eius sic dictam *abstersionem*, producit inoculatione *pustulam characteristicam* infra describendam, quae liquorem tenet lymphatici aut purulenti habitus, quo inoculato eadem rursus producitur pustula.

b) Ulcus syphiliticum virtute organismi, aut efficientia medicamenti depuratum, (in stadium sic dictum restitutionis redactum) pus tenet contagio liberum, quod idcirco inoculatione pustulam dictam non producit.

c) Pus bubonis symptomatici ex interioribus glandulae adfectae desumtum, insitione eundem prorsus habet effectum, ac illud ex ulcere syph. primario impuro derivatum; desumtum vero pus ex suppurante textu celluloso glandulam obvolvente inefficax est, nisi accesserit prius.

d) Pus desumtum ex bubone sympathico, qui tamen rarissime in suppurationem abit, in oculatione nihil provocat.

e) Mucus purulentus, uti et non purulentus blennorrhoeae sic dictae syphiliticae, *dummodo in urethra et vagina ulcus syphiliticum non latitet,* inoculatione pustulam nunquam producit; membranis vero mucosis adplicatus, analogas producit adfectiones blennorrhoicas.

f) Nulla adfectio syphilidis 2-riae inoculatione characteristicam producit pustulam; etquidem nec in individuo adfecto, nec in sano. — Sic *Mairion* 257 instituit insitiones cum eodem prorsus effectu; idem testatur Cl. *Baumés* medicus nosocomii Lugdunensis, *Langston Parker* in Anglia, *Dieterich*

multique alii in Germania. — Idem et nobis sub auspiciis aestimatissimi Moderatoris nostri Sp. Tognio, videre et observare licuit.

Quod sint qui has digito monstratas (haec enim methodus est Cl. Ricord) veritates impugnant, quod illorum maximus sit Parisiis numerus, mirum sane non est.

Tantis de inoculatione lectis omnis quaeret, *quo modo ea instituenda, et quomodo resultatum eius appareat?* — Insitio iuxta Ricord instituitur commodissime in *interna et media parte foemoris,* (tametsi etiam in alio loco cutis, aut membranae mucosae patentis fieri posset) huc enim facillime patet accessus, hic partes nobiliores, minus tenerae, sensiles aut irritabiles, et hinc gravius adficiendae non sunt; hic commode omnia dirigi et observari possunt.—Insitio ipsa fit *lanceola,* aut qualicunque alio instrumento sic constituto, ut minimo vulnere liquidum insitiendum infra epidermidem poni possit. Hic multas facere cerimonias absurdum foret, ast id necessarium omnino est, ut instrumentum sit mundum, et ne forte a simili tali insitione olim facta inguinatum. Consultum est in singula insitione nova uti lanceola, aut neo acrefacta. — Insitione facta vulnus custodiendum est, ne liquor insitus abstergatur, vulnusculum irritetur, et vesicula aut pustula laedatur; quia hoc eo quo insitio instituitur loco facile fieri posset, Ricord vulnusculum tegit hemisphaerio vitreo, quod emplastro adhaesivo et fascia firmat. Potest in hunc finem adhiberi hemisphaerium vitreum, eburneum etc.

Resultatum insitionis vel *nullum* est, vel *characteristicum,* vel *non characteristicum.* — Ubi nullum est, ibi mox evanido insitionis vestigio nihil ampluis in parte vulnerata conspicitur.

Resultatum insitionis *characteristicum* sequenti evolvitur modo: post 20. circiter horarum spatium, punctum insitionis quidpiam irritatum conspicitur; intra diem 2—3. rubor augetur, plaga intumescit, efformaturque pedetentim papula rubra halone cincta. Intra diem 3—4 in apice papulae separata epidermide *vesicula* formatur, *in cuius apice punctum nigricans conspicitur,* derivandum a sanguine, qui tempore insitionis factae profluxerat nunc iam coagulato. Die 4—5 vesicula volumine augetur, *in medio depressa conspicitur,* tenetque fluidum opacum purulentum, sistit ergo pustulam variolae genuinae similem, cingitur nunc halone ampliori intense rubente; die 5—6 halo pallescit angustiorque evadit, pustula collabi incipit, fluidum quod continet magis spissatur et tur-

batur: circumferentia vero ab infiltratione humorum ut videtur lymphaticorum durior evadit. Nunc iam urget pustulam aperire, pus abstergere et cauterisare; quod si facimus, ulcus invenimus, quod canalem perpendiculariter corium penetrantem format. Si ea quae dixi negligantur, tunc die 6—7 pustula penitus collabitur, crustaque sicca tegitur; quae ab infra aucta in conum truncatum levatur. Crusta ista avulsa vel fors sponte decidua, adparet ulcus infundibuli forme, totum corium penetrans, lardaceum cum superficie alba, aut albo cinerea, fundo et marginibus lardaceis duris, fuscis vel fusco violaceis splendentibus. Ulcus tale saepe rebelle fit, artis conatibus resistens, ampla capit in omnem directionem incrementa; quod ne eveniat, pustúla supra descripta die 5 aut 6 ubi perfecte evoluta est, aperienda, mundanda (turundula e linteo carpto facta) et caustico efficaci tractanda est. Hunc in finem Ricord olim adhibuit *lapidem infernalem;* idemque in opere suo 1838 publici iuris facto, et ab Hermanno Müller eodem adhuc anno in germanicum verso, facere svadet; ast nunc de meliori edoctus, lapidem infer. prorsus insufficientem esse declarat: semperque adhibet longe efficacius causticum sic dictum *Vindobonense;* constat istud: 6 partib. Kali caustici, et 5 partibus calcis causticae. quae adplicationis tempore in pastam rediguntur, caustico isto feliciter adhibito formatur *eschera,* qua post aliquod horas non raro decidua, omnis character virulentus ulceris deletus est, plagaque cauterisata prorsus pura conspicitur, citoque solidatur. In casu minus felici eschera separata ulceratio efficitur mala, porro quoque ut ulcus syph. tractanda. — Ubi ulceratio nimia a dicto induceretur caustico, ad emollientia recurrendum.

Resultatum inoculationis non charateristicum, producit pustulam, a priori seu characteristica maxime diversam, quoad formam, evólutionem, et decursum.

Quaeritur nunc: *quid commodi, quid incommodi, et quid periculi ab his insitionibus?* — Erant olim qui sperabant, in his insitionibus *prophylacticum* esse syphilidis remedium; spem hanc duxerunt ex male intellecta analogia inter variolas et syphilidem, inter vaccinam et pustulam istam syphiliticam. Erronea haec idea per observatores castos, melioresque logicos reputata est; et hodie quantum scire licet, nullus medicorum talia credit, aut facit. Alii erronea quoque rerum contemplatione seducti, habuerunt insitionem *pro remedio,* cuius ope syphilis latitans et anomala in normalem verti, sic-

que facilius sanari posset; sed et haec vana sunt. — His non obstantibus gigantea sunt, quae ex insitionibus istis capimus incrementa. — Spectabilis Professor Tognio, ea in duo redigit genera, distinguens: *emolumenta scientifica et medico practica.*

A). Emolumenta scientifica.

Huc numeranda sunt sequentia: 1. Insitiones istae existentiam contagii syphilitici, recentissimo tempore ab asseclis scholae Broussai in dubium vocatam, mathematica cum evidentia demonstrant.

2. Diversitas contagii syphilitici proprie sic dicti a contagio blennorrhoico, omnique alio certissime demonstratur ita: ut hodie de his nemo dubitare possit nisi ille, qui est psychice coecus, aut ille qui veritatem quam videt et palpat studio laedit.

3. Inoculatione illustratur modus, quem virus hocce in sua actione primaria sequitur, quae nihil aliud est quam irritatio, cui inflammatio et exulceratio necessario subsequitur, ut id evenit a contagiis aliis. Atque eo refutantur illa phantasmata nonnullorum, de necessaria ad suscipiendum hocce contagium sympathia, erectione, orgasmo partis organicae et calore, atque vitalitate ipsius contagii.

4. Demonstrat inoculatio effectum primarium huius contagii vere esse topicum, et talem diutissime non raro persistere.

5. Resorbtione ferri virus ad interiora organismi, illudque in glandulis primo adfectis, neutiquam indole sua primaria esse mutatum; bubonemque sic dictum idiopathicum nihil aliud esse, quam ulcus syphiliticum primarium ad glandulam propagatum.

6. Evincit inoculatio, syphilidem universalem semper et ubique in superficie organismi incipere.

7. Demonstrat inoculatio reactionem vitae in virus syphiliticum eo, quod ulcus syphiliticum depuratum, ut et ulcus syphiliticum secundarium, et omnes aliae formae syphilidis secundariae insitione non propagentur.

8. Insitio naturali, et optimae divisioni syphilidis fundamentum praebuit.

9. Demonstravit virus syphiliticum unice homini esse insidiosum, animalia autem reliqua non inficere; nunquam

enim Ricordio successit in canibus, Cattis et Cuniculis, item Anatibus et Columbis insitio efficax.

10. His cunctis inoculatio dispellit infinitas opiniones erroneas, inductiones falsas, hypotheses et fabellas, quibus theoretici creduli et praeiudiciis onusti delectantur.

B). Emolumenta practica.

1. Insitione distinquimus ulcera syph. primaria ab ulceribus herpetis praeputialis (saepe pro syphiliticis habitis) omnibusque aliis, distinquimus ulcera syph. primaria a secundariis.

2. Distinquimus contagio adhuc scatentia ulcera syph. primaria ab illis quae nullum amplius tenent contagium. Distinquimus porro:

3. Ulcera syph. primaria *latitantia* i. e. talia quae dificillime vel nullo prorsus modo conspicere licet, vg. illa vaginae aut urethrae.

4. Distinquimus bubonem ideopathicum a sympathico in suppurationem fors abrepto, et qualemcunque glandulam exulcerantem.

Atque ex his summum redundat non solum in pathologiam et therapiam, sed etiam in hygienem, et medicinam legalem emolumentum.

Incomoda et pericula insitionis nec negare, nec celare volumus; veritatem amantes, colentes et in arte quam profitemur semper optantes. — Incommoda consistunt in dolore quem aeger ab operatione ipsa, et subsequente inflammatione et suppuratione, ac tandem ab adplicatione ipsius caustici sufferendum habet. *Periculum* consistit in eo, quod aeger syphilipem universalem contrahere possit; ast quousque demonstratum non fuerit, duo ulcera facilius syphilidem universalem post se trahere quam unum, eo usque a priori periculum istud magni habere non possumus; et omnem theoreticam argumentationem respuimus, provocantes unice ad experientiam. Haec vero iuxta effata Cl. Ricord in eo consistit, quod non sit observatio fide digna qua constaret, quod ex ulcere syph. primario, dummodo id primis 5—6 diebus caustico efficaci tractetur, syphilis universalis secuta fuerit. — Cum tamen omne periculum negare haud liceat, sequitur sua sponte insitionem nunquam ex sola vana ostentatione, aut ex inani curiositate (res enim quae hic traditur, millenis experimen-

tis evicta est) esse faciendam; sed ibi tantum suscipiendam, ubi diagnosis urget aliis non eruenda adminiculis, aut ubi in casu medico legali innocentia culpati esset evincenda.

Inhaeret ut supra dictum, contagium syph. liquori lymphatico aut purulento pustulae syphiliticae, et puri habitus diversissimi ulceris syph, non abstersi nec non bubonis ideopathici; nec accessu mechanico aliorum humorum inquilinorum sanquinis, muci lymphae etc. in indole et efficacia sua mutatur. Liquidis organicis gas formibus hodie saltem certe non amplius suscipitur, unde iuste fixis adscribitur contagiis.

Contagium istud vehiculis dictis reconditum, aliis facillime adhaeret corporibus, in quibus vim suam inficientem retinet. Quamdiu vero id locum habeat, quid huic conservationi faveat quid minus? haud notum est; nec aliter quam experimentis hucdum rarissime institutis erui posset. Quod corpora chemice efficaciora vg. acida concent. Chlorum, alcalia caustica contagium istud destruant, docent experimenta nonnulla instituta, sed et haec repeti deberent.

Ad et inhaeret contagium facilius corporibus idio electricis et porosis quam aliis; sic lanae gozzipio, pellibus, rebusque inde fabricatis; interim et corporibus parum porosis, duris, levigatis vg. metallis, id efficax adhaerere posse, svadent observationes quibus constat: quod ulcus syph. instrumentis chirurgicis non bene mundatis inductum fuerit. Idem dicitur de poculis, sugibulis, imo plane de setaceis (ad dentes purgandos adhibitis) dentibus artefactis, cloacis etc. Quantum in istis veri, quantum falsi? non facile est discernere; sedes perforatae, cloacae, dentes inplantati, procul dubio innocenter culpantur.

An virus syph. *eundem ex quo promanaverat inficere possit hominem?* multum disputatum est; insitiones dubium omne solvunt. An id vero sine laesione cuticulae fieri possit, prorsus non constat; desiderantur etiam hic experimenta, observationes enim fortuitae infidae sunt. Quod hae infectiones sui ipsius rarae sint certum est; videmus enim in hominibus munditiem omnem negligentibus ulcus unum diutissime persistere, nec secundum generari; idem saepe videmus in phymosi per septimas durante. — Suscipitur virus longe facilius membranis mucosis, quam cute externa; interim ubi ista solito mollior, magis vasculosa et nervosa, ubi tenerrima epidermide tegitur, aut ubi ista ablata est, ibi contagium efficax habet atrium. Cutis vero illaesa, minus tenera, minus vasculosa, crassa epidermide tecta, effectum contagii syph.

non suscipit; ut id videmus in digitis nostris quibus syphiliticorum tractamus ulcera, etc. Uti non omnis cutis externa, ita nec omnis membranae mucosae plaga suscipit contagii huius effectum; sic multiplex est observatio, quod virus syph. ventriculo illatum, nullum prorsus inducat effectum, causa huius phoenomeni latet.

Experientia teste, virus syph. omnium frequentissime partibus genitalibus suscipitur; ex ratione quae in aprico est. An hic longior contactus, an hic affrictus ut nonnulli docent sit necessarius ut effectus sequatur, an e contra levis sufficiat contactus? experimentis, sufficientibus saltem, nedum est demonstratum; urgent talia. Excipitur porro virus istud orificio ani (cum et sine poederastia) oculo, naribus, labiis, partibus cavi oris et faucium, papillis mammarum, digitis ad radicem unquium cuticula privatis, aut alio modo laesis. Reliqua cutis superficies citra laesionem, aut alium aliquem statum pathologicum, in adulto saltem, contagii effectum non recipit; recipit vero omnis neonati, ex causis supra dictis.

Dispositio pro recipiendo effectu contagii in pluribus invenitur hominibus; an in omnibus, merito dubitare licet, ducti analogia et experientia. Rei multum lucis addere possent experimenta, quae uti et illa supra repetitis vicibus adducta, instituere suadet humanitas; victis omnibus miserabilibus praejudiciis, An vero haec immunitas sit perpetua, an temporanea, ex quibusve profluat causis? omnes ignoramus.— *Dispositio maior imputatur* hominibus, cute lactea, molli, laxa, multum vasculosa instructis; labe aliqua vitae vegetativae (hoemorhoidibus, arthritide, scrophulosi, syphilide) laborantibus; ut et iis, qui nimias coeperunt mercurii doses. Ast vereor, ne in istis sit multum hypothetici; nec obliviscendum, nominatos iusto esse salatiores. — Eadem certe ex causa sanquinei, cholerici, iuniores adficiuntur frequentius. Eadem est ratio relate ad diversas hominum classes. Mane statim a somno terminato, et in crapula maximam esse dispositionem docent auctores; ast et hic frequentior, minusque circumspectus coitus, pontentiorem sistet infectionis crebrioris rationem. — *Contagii effectum esse ferociorem certis orbis partibus* vix dubitare licet; sic etiam evictum est diversis locis diversam occurrere syphilidis formam. Docent praeterea auctores, contagium captum ex individuis haeterogenei characteris gentilitii, graviorem producere morbum; quod assertum fors genitum est, errore in observando, et distinquendo.

Maximi momenti esset resolutio questionis, *de diversitate dispositionis in luem syph. universalem;* cernimus hoc respectu diversitatem summam, in quo autem hoc fatum felix, aut infelix fundetur, omnino ignoramus; quae enim hinc inde adducuntur, prorsus non sufficiunt. Dieterich statuit *sequentem receptivitatis scalam:* minimam haberent *hoemorhoidarii*, et progressive maiorem, *rheumatici*, *scorbutici*, *impetiginosi*, *arthritici*, maximam *scrophulosi*. Credimus tamen, in his multum esse arbitrarii. De sanorum, diverse tamen constitutorum, dispositionis gradu nihil commemorat.

His terminatis, *actio contagii syph. est illustraada;* quod opus non adeo grave esse videtur, ut plurimi contendunt; dummodo ab ineptis scholarum doctrinis, credulitate nimia, phantasiae ludibriis, praeconceptisque opinionibus mittamus, et falsis observationibus non turbemur. — Actio contagii syph. ulcerosi, *irritans est;* qua inflammatio et ulceratio inducitur. In loco primae adfectionis reproductio locum habet, quomodo autem id fiat, non capimus. Ex loco primae adfectionis, resorbtione limphatica certe, et fors etiam resobtione venosa, virus limphae et sanquini infertur; excitans in cunctis partibus organismi, longe tamen frequentius in *membranis mucosis, fibrosis, compage glandularum et ossium* phlogoses, et ulcerationes.

Atque his thesim propositam finivi; restaret doctrina amplissima de divisione luis syphiliticae, de ulceribus primariis et secundariis, diversissimisque syphilidis primariae, sed imprimis secundariae formis, de morbi huius prognosi atque therapia. Haec omnia classice exposuit nobis Vir doctissimus, et omnium amore summe dignus. — Ast haec publicare, defectus subsidiorum, et temporis brevitas prohibent.

Theses.

1. De origine syphilidis nihil apodictice certi.
2. Contagium ulceris syphilitici ab eo blenorrhocae maxime differt.
3. Certum criterium ulceris syphilitici est sola insitio, et ideo.
4. Insitio haec spectat ad inventa nostri aevi momentosissima.
5. Virus syphiliticum unice homini est insidiosum.
6. Endocarditidem saepissime sanat natura.
7. Scrophulosis cum tuberculosi non est idem morbus.
8. Aquae natronatae jodum tenentes, in tuberculosi pullulante praestantissimum exhibent remedium.
9. Uberrimus fons scrophuloscos in dies magis saevientis, videtur esse discrasia syphilitica genitorum.
10. Hydrophobia ex homine ad hominem non, sed ex homine ad aliud animal potest propagari.
11. Vesiculae hydrophobicae a Marochetti descriptae, attentione medicorum sunt dignissimae.
12. Unica datur species phthiseos, et illa est tuberculosis.
13. Una e principalibus causis Plicae polonicae videtur fuisse tonsura capillitii, apud Judaeos et rusticos, imo et nobiles usitata.